147

Innocentius IV. Henrico Archiepiscopo Prussiae Livoniae et Estoniae S. Sedis Apostolicae Legato ut aliquot Episcopos in Russia constituat

Innocentius Episcopus servus servorum Dei Dilecto Filio Fratri Henrico Archiepiscopo Prussiae Livoniae et Estoniae Apostolicae Sedis Legato salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut commissum tibi in Russiae partibus Legationis officium liberius exequaris, praesentium tibi auctoritate concedimus, ut in eisdem partibus prout expedire videris, tanquam Legatus Sedis Apostolicae Episcopos Latinos de Ordine Praedicatorum vel minorum ac aliorum Religiosorum, et de Clericis Saecularibus etiam, instituere ac ordinare valeas, eis consecrationis et confirmationis munus Apostolica auctoritate impensurus. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo Datum Lugduni 5 Nonas Maij Pontificatus nostri Anno 3